



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,  
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Poenitentia Et Reliqvis Sacramentis

**Vindalium, 1646**

Sect. IV. An remissa poena æterna remittatur poena temporalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38867**



## SECTIO IV.

*An remissa Pœna aternâ remittatur  
tota Pœna temporalis.*

## CONCLUSIO.

Quando peccatum mortale remittitur quoad culpam, pœna æternæ etiam illi remittitur: non tamen semper tota pœna temporalis tollitur. ) Prima pars probatur, quia de lege ordinaria, nō remittitur peccatum mortale nisi in iustificatione, quæ fit per gratiam sanctificantem; hæc autem gratia reddit hominem iustum, & filium Dei, ac hæredem gloriæ æternæ, quæ directè opponitur pœnæ æternæ. Quare ab ipso quod peccatum mortale alicui remittitur, reatus etiam pœnæ æternæ censetur auferri. Et ita determinat Concilium Trident. sess. 6. cap. 14.

Secunda pars probatur 1. ex eodem Concilio Trident. sess. 6, cap. 14. ubi hoc discrimen constituitur, inter sacramenta Poenitentiae, & Baptismi, quod in illo, non semper tota pœna temporalis, sicut in hoc, remittitur; & sess. 14. can. 12. de



sacramento Poenitentiae, hoc statuitur. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa, remitti semper à Deo, satisfactoriamque poenitentium non esse aliam, quàm fidem quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

Probatut 2. ratione tum à priori, tum à posteriori. A priori quidem ex ordine iustitiae qui exigit, ut qui Deum offendit ipsi satisfaciatur; at quamuis homo nõ possit Deo satisfacere pro poena æterna, potest tamen pro temporali: quare ad iustitiam pertinet, ut pro illa satisfaciatur; sicut ad misericordiam spectat, ut æterna poena gratis illi condonetur. A posteriori verò eadem veritas evidenter colligitur ex triplici capite. Primò ex poenitentis quæ in confessione imponi solent. Secundò ex indulgentiis quas interdum summus Pontifex concedit. Tertio ex poenis quas animæ in purgatorio patiuntur. Ratio enim postulat, ut nisi remittatur poena, quod fit per indulgentias, satisfactio fiat in hac vita, quod fit per opera à confessario inuncta, aut certe ut in alia, poena à Deo statuta sustineatur, quod fit in purgatorio.

Dices cum Nouatoribus, Scripturam asserere, Deum non amplius recordari peccatorum quæ remissa sunt: item auer-



tere faciem suam ab illis, eaque non imputare & similia, quæ non rectè dicerentur, si Deus pro peccatis illis poenam aliquam imponeret. Respondeo, Deum eatenus obliuisci peccatorum quæ remissa sunt, quatenus ea non punit poenâ æternâ, quæ ipsis debebatur, neque propter illa respicit ampliùs hominem, vt inimicum & odio dignum: sed eum diligit vt amicum, imò vt filium, ac hæredem regni coelestis, vt talem leuiter punit; eo modo quo parentes corripunt filios suos, quos impensè diligunt.

Nota, quòd etsi non semper dum remittitur peccatum mortale, remittatur tota poena temporalis illi debita; interdum tamen contingere potest, pro ratione contritionis, vt integra poena penitus deleatur. Sicut enim quò perfectior est hominis contritio, eò maior, cæteris paribus, illi gratia infunditur; ita etiam eò maior poena temporalis illi remittitur. Vnde contritio ad tantam perfectionem pertingere potest, vt intuitu illius tota poena deleatur.